

No. 323. 1298. 19. Jan.

Der Probst Dietrich zu Budissin trifft hinsichtlich des Einkommens und der Obliegenheiten des Vicars des von ihm gestifteten Altars in der Domkirche genaue Bestimmungen.

Vgl. No. 251. 253 u. 283.

Ego Theodericus dei gratia praepositus Budesinensis et canonicus Misnensis notum fieri cupio omnibus per praesentes, quod pro salute animae meae institui in ecclesia Misnensi katedrali perpetuam vicariam et altare situm a sinistris monasterii, a venerabili domino Withigone episcopo bonae memoriae in honore sanctorum Nicolai et Laurentii sollempniter consecratum, cuius collationem volo post mortem meam ad Misnense capitulum pertinere. Cui vicariae contuli et dedi villam Zalesen sitam circa Strele cum omnibus proventibus suis, censu videlicet, annona, decima et servitiis, quae de eadem villa percipi possunt nihil penitus excipiendo. Isti autem sunt proventus dictae villae, scilicet decem marcae et unus fertio, quarum sex marcae et tres fertones debent esse pondere camerae Nuenburgensis episcopi ponderatae, et tres marcae et dimidia pondere Strelensi. Et praedictum argentum utriusque ponderis debet esse probatum Vribergense; et XXVIII^o denarii Strelensis monetae, et quatuordecim pulli et sexagena ovorum et dimidia. Cuius census medietas solvitur in festo Michaelis et medietas in festo sanctae Walpurgis. Item de avena in vero censu tredecim maldaria et sex modii, in decima vero duo maldaria siliginis et duo maldaria avenae. Ista omnia debent solvi et solvuntur de villa Zalesen vicariae memoratae. Item in villa Meila septem modii siliginis et totidem avenae praedictae vicariae similiter persolventur in festo beati Galli. Item dedi eidem vicariae in villa Chofbach iuxta Wilansdorf quinquaginta solidos et XXX denarios monetae Vribergensis, qui census etiam solvitur duobus terminis Walpurgis et Michahelis et XIII^o pulli. Item dedi saepedictae vicariae in civitate Misna viginti sex solidos et unum macellum carnificum, quod solvit quinque lapides sepi purificati in festo beati Martini. De istis omnibus redditibus volo, ut vicarius dictae vicariae post mortem meam peragat meum anniversarium in choro Misnensi. Dominis canonicis praesentibus in vigiliis distribuet novem solidos, et in missa tantum; hospitali dabit duos solidos, custodi pro candelis ponendis in vigiliis et in missa unum solidum, et campanatori pro pulsatione quatuor denarios. Item dabit sociis in anniversario meo XV solidos, quos taliter distribuet, vicariis non sacerdotibus cuilibet quatuor denarios, residuum inter sacerdotes praesentes in vigiliis et missa aequaliter dividatur. Item dictus vicarius, qui pro tempore fuerit, singulis septimanis dicet mihi missam animarum cum vigiliis praecedentibus et unam de domina nostra et unam pro peccatis, in quibus mentionem faciet Heinrici patris mei, Luciae matris meae, Gotscalci, Waltheri decanorum et aliorum amicorum et benefactorum meorum, quorum animae in sancta pace requiescant. Item dabit in qualibet septimana unum denarium sacerdoti, qui mihi dicat missam animarum, vel personaliter deserviat eundem denarium, si voluerit laborare. Item in singulis meis anniversariis distribuet pauperibus panes emptos pro sex solidis. Item in qualibet